

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 20. (Neovidensis 1808. Nro. 19.)

## *Eventus Politici.*

ElysiuMeum.-DieVeneris.27. Mart.1808 (Neov.4. Mart. 1808.)

*Vratislavia de 15 Febr.*

**N**unc primum Regiis Borussicis in muneribus constituti in neo cessa provincia Nova Silesia Decreto publico de 27. Jan. 1808 suis stipendiis & obligationibus soluti sunt. Montosa hæc, at fertilis provincia est pars Poloniæ ex Waywodatu Cracoviensi Silesiæ adjecta complectens 41 milliare quadr. & incolarum 50 millia. Sub Conventione, cujus in hoc Edicto mentio sit, vigore cujus provincia hæc Duci Varsoviensi ceditur, præter pacis Tilsitensis, alius adhuc peculiaris Tractatus intelligendus videtur, Decretum ita sonat:

„Nos Fridericus Wilhelmus Rex Borussiae &c. tenore præsentium significamus, ordinamusque: — Posteaquam vigore Conventionis cum Imperatore Galliae, Italiæque Rege initæ, provinciam novam Silesiam Magno Ducatui Varsoviensi cecissemus, in conformitate hujus a nobis factæ cessionis obligatos nos existimamus, quosvis nostros in hac provincia constitutos officiales & Dicasteria, quæ in ea de præsentem reperiuntur, hisce & vigore hujus Decreti obligationibus suis exsolvere, ac

eos nulla ratione pro parte nostra & quantum ad nos attinet, ab expletione novi sui muneris impediendos, id quoque declaramus; nos deinceps, & futuro quovis tempore in fortuna sincerorum ad usque ministrorum publicorum partem maximam habituros, præstitaque eorum fidelia servitia memori animo semper prosecuturos. Regiomonti die 27. Jan. 1808.

*G a l l i a.*

*Parisiis die 27. Febr.* Die 24. h. m. Hollandicus Cursor Bruxellas prætervectus annunciat: Regem Hollandiæ propediem iter ingressurum, quod per Bruxellas directurus videtur.

Generalis Agminis dux Drouet imperator XI militaris agminis renunciatus est, & in hac dignitate Burdigalæ nuper admodum exceptus, utpote principe memorati agminis hospitio.

En aliquot excerpta ex relatione, quam Secretarius Collegii Historiarum & Archæologiæ Instituti Cl. Dacier occasione aditus sui Imperatori præstabat. „Intelliget Majestas Vestra, non morantibus politicis turbis, quæ Gallia exagitata est, imperium nihilominus hocce in nullo litteraturæ ramo decrementum accepisse; verum cum dolore cogimur advertere, quibusdam scientiis ruinam propediem & ex integro impendere; Philologia, basis hæc omnis veræ doctrinæ, qua historica certitudo & præteritarum rerum omnis scientia nititur, quæ olim tantum fulgoris Academiæ scientiarum, quas prosequendas Collegium nostrum

habet, hæc inquam vix aliquem Cultorem & alumnum reperit. Docti viri, qui quotidie ambitum scientiæ hujus excolunt, potissimum reliquæ generationis, quæ exstinguetur paulopost, se exiguo ambiri numero vident, qui eorum vices sustinere, iis suffici, poterunt.

„Admiratione digna monumenta veteris Statuariæ, quæ Maj. Sua jam ab ostio Tiberis in novam suam Romam transplantabat, atque adhuc transplantatura est, (hoc loco subintelligitur probabiliter Collectio illa celeberrimæ Borghesiana, quam Imperator Jure emtionis juris sui fecit) gravitatem Archæologici studii majorem in lucem collocatura sunt, ejusque progressus promotura. — In solo genuino Philosophiæ charactere, prout ea a Socrate atque omnis ævi Philosophis docta traditaque est, quæ sivimus necessariam mensuram pro dignitate eo pertinentium laborum, & sat felices fuimus diversis in regionibus auctores inveniendi, quorum opera & studio ea in puritatis suæ integritate servata, fructus uberes tulit.”

*Parisiis 29. Febr.* Hesterno Imperator in Conventu Status Deputationem Collegii Litteraturæ Galliæ & elegantiorum scientiarum excepit. Præses Chenier oratione præibat, cui Imperator ad hunc modum: „Mei Domini secundæ Classis Instituti. Si idioma gallieanum universalis lingua effecta est, id profecto in acceptis referendum viris ingenio excelso præditis, qui vestro Collegio interfuere, aut actuturum intersunt. Aestimo fructus conatum

vestrorum, qui culturam mentis subditorum meorum pro fine habent, atque ad Coronæ meæ gloriam necessarii sunt. Cum animi voluptate de iis ad me referri intellexi, planeque patrocini mei certis securisque vobis esse licet.“

Decretum de 17. h. m. seq. complectitur :  
„1) Quævis Algeritanæ naves in quibusvis Imperii nostri portibus ; prout & Regni nostri Italiæ Interdicto adficiendæ. 2) Subditi quicumque Algeritani comprehendendi & munitis arcibus includendi. 3) Merces quantævis Præfecti Algeritani, ejusque subditorum & suppellex in Imperio nostro, aut Italiæ Regno sequestro adficienda. 4) Hæc agendi ratio, usque observanda, quo Algeritanus Præfectus subditis nostris Genuensibus, aut Regni nostri Italiæ adversus solennes Tractatus libertatem non restituerit.

Vigore Cæsarei Decreti de 25 hujus Gen. Commissariatus Antverpensis in Præfecturam maritimam convertetur, atque Magister Requiens Malouet Præfectus maritimus Antverpensis denominatur.

*H o l l a n d i a.*

*Amstelodami 1. Martii.* Nuperis diebus D. a Carli Generalis Consul aulæ Vindobonensis Amstelodami residens a Domino Barone Felz extraordinario legato, & Ministro plena rerum gerendarum potestate instructo Cæsareo Regiæ Apostolicæ Majestatis apud suam Majestatem Regem Hollandiæ sequentis tenoris exhibuit litteras :

„Ad speciale mandatum Suae Apostolicæ Majestatis Imperatoris, & Regis Domini mei honorem habeo Dominationem Vestram reddendi certiolem; quod: cum post diuturnos, at frustraneos conatus ex parte memoratæ Majestatis ad pacem maritimam restabiliendam, omnis voti hujus adipiscendi spes præcisa sit, cumque subditi Suae Majestatis arbitrariis Anglorum principiis adversus quosvis neutrales status expositi sint, Cæsarea legatio Londino revocata sit, Anglicanaque in eo articulo versetur, Austriacas ditiones excedendi — hac ratione commercium maritimum ditionum Austriacarum ad eundem arbitrarium statum redigitur, in quo jam alii continentis Incolæ per tristem & infelicem belli continuationem constituti habentur, quamobrem eo Suae Maj. voluntas dirigitur: ut Generales Consules & Proconsules in suis respectivè Districtibus velocissimas & certissimas dispositiones ineant, ut subditi Suae Maj. prout & personæ cum iis in nexu commerciali constitutæ de his adjunctis convenienti ratione edoceantur — ad eas agendi rationes ineundas, quas iis prudentia & eorum commodum in similibus adjunctis adversus quodvis damnum & detrimentum, cui paterent, suppeditat. Minister olim Parisiis noster D. Brantsen superior Cubicularius denominatus est, Dominus vero Darjuzon, qui hoc munus obibat, reginæ servitio admotus est.

Sua Maj. Rex noster 50 mille Florenos in subsidium nuperina procella Vlissingæ jacturam passorum, distribuendos curavit.

Sup. aulae Mareschallus adhuc Amstelodami moratur, ad regem excipiendum ordines facturus.

*Germania.*

*Tergestino die 18. Febr.* Anglicanus haecenus Vindobonae residens legatus D. Adair ante aliquot dies huc adpulit; operitur parlamentarem navem, qua Maltam petiturus.

Politia ordinationem edidit: qua, exteri & peregrini, qui per Commercii impedimentum nimio opere accumulantur, ratione tractandi sint.

Russi ab aliquot mensibus Paduae Treviso &c. stationem habentes 10—12 mille viros efficientes ab 17 usque 19. Febr. diversis in turmarum seriebus Udinam profecti sunt. Opinio vulgaris fuit: in Italiam profectos fuisse. Classiculae quoque & naves Russicae Venetiis rursus vela dederunt.

Secundum Helveticas relationes paullo ante ingressum copiarum Gallicanarum Romam, Pontificis Proclamatio seu declaratio ad subditos sacrae sedis vulgata est, cujus promulgatio tamen paullo post vetita & interdicta est.

*Cassela 11. Febr.* Invectio Anglicanarum mercium in regno Vestphaliae severissime vetita est; die 1. h. m. quodam diversorio loco aliquot fasces tuium mercium adprehensi, & ut tales agniti, crematique fuere.

Decreto de 5. hujus, sacras fundationes, beneficia, Capitula & Conventus religiosos concernente, inter cetera definitur: pro iis novam legem statutaque secundum principia Constitu-

tionis: ut quævis personæ absque discrimine nati-  
 talium in ea recipi possit, concinnatum, atque  
 usque determinationem hujus legis nullam va-  
 cantem stationem aut beneficium conferri, pro-  
 ventusque idmodi beneficiorum, prout genera-  
 tim decima pars quorumvis reddituum ecclesia-  
 sticorum beneficiorum in memorato regno æ-  
 rario administrationis ecclesiasticorum redi-  
 tum Casselæ existenti inferenda ordinatur.

*Cassela 29. Febr.* Secundum hujatem Mo-  
 nitorem de hesterno D. Status Consiliarius a  
 Dohm ad munus plenipotentiatum, ut dicitur, mini-  
 stri & extraordinarii Legati ad Regiam aulam  
 Saxoniam, D. Status Consiliarius C. a Für-  
 stenstein Minister Secretarius; D. Status Con-  
 siliarius Pothan Generalis Director Postarum  
 renunciati. & D. Generalis Reubel, qui hætenus  
 Gen. Gubernatoris munere Casselæ provisorio  
 fungebatur, in eo confirmatus est.

Domino Ministro Secretario Status C. a  
 Fürstenstein Sua Majestas negotiorum extero-  
 rum Curam credidit, & Directionem ad præsens  
 Politicæ cum Fuldensis Departamenti Præfectu-  
 ra conjunxit.

Sua Maj. Saxonie Rex D. Comitem a  
 Schauenburg Wechselburg ministrum plenipo-  
 tentiatum & extraordinarium legatum ad hu-  
 jatem regiam aulam denominabat.

Decreto de 29. prioris mensis erectio Le-  
 gionis regie prætorie Turmæ præcepta est.

Secundum publicas relationes Dorstena  
 senior Princeps, filia M. Ducis Montis ad di-  
 gnitatem Ducis Eltensis evecta est.

Sequens Decretum intuitu migrationis Coætaneorum memoratu dignum in Badensibus ditionibus. — Carolus Fridericus Dei gratia M. Dux Badensis &c. — Si præsens arduum belli tempus necessitatem fecit nobis adcuratum Elenchum absentium substernendum curandi, ut media reperiamus: ne per inanes & fini prorsus adversas absentiarum prolongationes opificum subditi in patria remanentes per delectum militarem inique onerentur, eorum inspectio eadem occasione attentionem eam in nobis excitavit: quam infructuose atque fini adverso modo id genus peregrinationes; ex parte instituantur, quamque per id, in vicem medii ad perfectionem Culturæ patriæ, via ad intercipiendam publicam salutem evadat &c.

*I t a l i a*

*Venetis die 5. Febr.* Præses celebris Italicæ societatis artium & scientiarum D. Cagnoli, scripto typis vulgato ad omnes Italicæ Academiæ scientiarum socios ad obtinendam vacantem per obitum Cl. Lalandi exteri commembri stationem, quorum numerus ad 12, definitus sequentes sex extraneos dignos declarabat: — „*Bode* Berolini, *Burgium* Vindobonæ, *Gausium* Brunsvicæ, *Olbersum* Bremæ, *Sefferum* Monachii; *Sturmium* Stuttgardæ.

---